



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1634

De Cærimonijs Horarum Canonicarum in Choro solemniùs recitandarum.
III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40244

ut casus alij, vt idem fiat à Lectore dum dicit, *Iube Domne, &c.* versus Hebdomadarii, ab omnibus ad nomen Papæ viuentis, ad Versus sequentes Psalmorum, *Sit nomen Domini benedictum, Sanctum & terribile nomen eius, Benedictus Dominus die quotidie, Benedictum nomen maiestatis, Benedicat nos Deus noster, benedicat nos Deus, quod multis placet.* In Completorio ad *v. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, Benedicamus Patrem, &c. Benedictus es Domine in firmamento caeli.* Locorum consuetudini standum erit.

10. Signum Crucis sibi adhibent multi, præter ea quæ capite superiore adnotauimus *num. 6.* ad initium Canticorum Euangelicorum, quia Euangelia sunt: & quidem ad *Magnificat* idem præscribitur Episcopo in Cerimoniali Episcop. *loco citato cap. 7.* Quare eadem erit ratio & aliorum similibus Canticorum, nisi forte illud præscribitur ratione processionis à sede ad Altare, vt, antequam moueatur à sede, muniat se Crucis signo; sed primum est verius.

11. Cantores vt plurimum iuxta Cerimoniale Episcoporum cantant Inuitatorium, initia Psalmorum, Versus, & Responsoria; Hebdomadarius autem primam Antiphonam, Capitula, Antiphonam ad Cantica Euangelica, initia quorundam Hymnorum, & Orationes dicit. Lectiones legunt, qui in Choro sunt, iuniores primas, seniores vltimas, singuli singulas, ex Carim. Episc. *lib. 2. cap. 6.* verum, vt diximus supra, consuetudines locorum variæ: & laudabiles non sunt in hoc genere à Cerimoniali Romano abrogatæ.

12. Ratio videretorum satis patet,

partim ex ijs quæ supra scripsimus *Secl. quinta*, vbi de singulis Horarum partibus; partim ex ipsamet consuetudine, quæ est altera lex de re rationabili & valdè congrua, à saniori parte vniuersalis Ecclesiæ recepta, & diu retenta.

De Cerimonijs Horarum Canoniarum in Choro solemnitus recitandarum.

C A P. I I I.

Quatuor ex Horis Canonicis solemnitatem habet in Choro, nempe Matutinum cum Laudibus, vt in nocte Natiuitatis Domini; Primam in Vigilia Natiuitatis eiusdem, ratione Martyrologij; Vesperam frequentiore; & Completorium quandoque in Quadragesima. De his hoc loco singillatim est dicendum, in gratiam eorum præsertim, quibus non est præ manibus Cerimoniale Episcoporum, seu Canoniarum.

1. Matutinum igitur numquam cum Pluiali cantatur, ex Cerimoniali Episcop. *lib. 2. cap. 6.* quod ad Laudes & Vesperas adhiberi, docent Rubricæ *Missal. iii. 19. num. 3.* sed, dum cantantur Lectiones tertij Nocturni, parat se Celebrans Pluiali ad legendam nonam Lectionem, pro qua accenduntur duo cerei ab Acolythis, parantur duo Cantores cum Pluialibus; neque recedunt Acolythis, donec tota Lectio fuerit absoluta. Ob reuerentiam maioris stantis, dum legit, stant omnes alij qui sunt in Choro, Carim. *ibid. cap. 5.*

3. Ad textum Euangelicum non adhibetur signum Crucis; neque legitur manibus iunctis, sed hinc inde supra legile positus, seu supra librum, Cerimon. *cap. 5.*

4 Quicumque ille sit qui legit, inferior Episcopo, dicit, *Iube Domne*, non *Domne*; & secundus in Choro, si maior illo non sit ibidem, profert verba Benedictionis. Quod autem Cerimoniale tribuit Episcopo ratione tantæ dignitatis, non debet inferiori tribui, eò quia maiorem in Choro non habeat; alioquin cuilibet maiori de Choro illud idem conueniret.

5 Hymnus *Te Deum* inchoari debet ab eodem Celebrante, nisi alia sit Ecclesiæ consuetudo; sicut etiam Hymnus post Inuitatorium, ex Cerimoniali loco citato.

6 Ad cantandas solemniter Laudes eadem omnino fiunt, quæ ad Vesperas Solemnes mox dicemus: sunt enim inter se valdè similes Horæ.

7 Martyrologium pridie Natiuitatis Domini solemnitus cantatur: alicubi cum Pluiali, luminibus & incenso cantatur, sicuti Euangelium; minus solemniter alij. Illud certè obseruandum ab omnibus est, vt audientes stent vsque ad ea verba, *In Bethlehẽm Iudæ*, &c. quibus auditis, statim genuflectant, præter Lectorem, vsque ad ea, *Natiuitas Domini nostri*, &c. secundum carnem, inclusiuè. quod & notatum est in nouo Martyrologio. Humiliato namque Deo vsque ad terram, etiam decet nos quam maximè humiliari.

8 Fusiùs de Vesperis solemnibus est dicendum, quæ sæpiùs ab Ecclesiasticis viris cantantur, & præsertim in Festis Sanctorum Titularium. Paratur autem Celebrans Pluiali coloris temporis conuenientis, seu Festo, super Cottam sine Stola; & cum eò parantur alij cum Pluialibus item, duo saltem, qui eidem hinc inde, quando opus est, ministrent.

Neque tamen improbamus Regularium ritum, qui Pluiale induunt super Amictum, Albam, Cingulum, & Stolam in modum Crucis antepectus; quos tamen monemus, ne dicant Orationes ad has vestes, quæ ante Missam dici solent.

9 Procedit Celebrans de Sacristia ad Altare, præcedentibus duobus Acolythis cum candelabris & cereis accensis; quos sequitur solus Cerimonarius, si adest, tum alij de Clero bini, deinde ministri Pluialibus induti, postremò Celebrans medius inter duos vltimos Pluialibus indutos, qui simbrias anteriores Pluialis ipsius parumper eleuant: & omnes hi, exceptis Acolythis, operato capite procedunt, Cerim. Episc. lib. 2. cap. 3.

10 Cùm peruenerint ante Altare, discedentibus alijs in Chorum, formant quasi lineam rectam, Celebrans, ministri Pluialibus induti, & Acolythi: genuflectunt omnes, inclinat caput Celebrans (nisi in Altari sit sanctissimum Sacramentum) & paululùm orabunt genuflexi, deponentibus interea Acolythis sua candelabra cum cereis extinctis super gradu Altaris laterali, seu plano Cappellæ. Cerimon supra.

11 Surgunt deinde, & facta Alati vt supra reuerentia, accedunt ad parata scamna in cornu Epistolæ, ita vt Celebrans sedeat altius, puluino saltem supposito: vel accedit ille ad primam Chori sedem, in qua poni debet puluinum, & alterum cum tapete super genuflexorium ante eundem positum, super quo erit liber, hoc est, Breuiarium formæ maioris ad usum Celebrantis, vel super legili; quod apponitur, & amouetur, prout opus

opus est. Reliqui parati ibunt ad scam-
na loco congruenti præparata in plano
Chori. Cærim. *vbi supra.*

12 Sedit ibi Celebrans, stantibus
alijs paratis ante eum in plano; mox
surgit, & dicit secretò versus Altare
Pater noster, & *Ave Maria*: quibus
dictis, eleuatur eidem pars dextra Plu-
uialis anterior per viciniorem para-
tum, seu per Cærimoniarium; & idem
ipse signans se signo Crucis morosè,
prout verba profert, incipit Vesperas,
dicens: *Deus in adiutorium meum in-
tende*; ita vt finiat verba & Crucis
signum à fronte ad pectus vnà simul.
Cærim. *loco citat.*

13 Præintonatur Celebranti ab vno
ex paratis initium primæ Antiphonæ,
cum debitis reuerentijs Altari & Ce-
lebranti ante & post; qua intonata à
Celebrante, & à Choro cantata, si
Duplex est Officium, inchoatur Psal-
mus à Cantoribus, & sedent omnes:
aperiuntur capita, & inclinantur pro-
fundè ad *ÿ. Gloria Patri*, &c.

14 Cantores præintonant reliquas
Antiphonas dignioribus in Choro; &
surgentibus alijs ad Antiphonas &
initia Psalmorum, Celebrans non sur-
git. Cærim. *cit.*

15 Finitis Psalmis, Acolythi cum
candelabris accensis, ex communi vsu
Ecclesiarum Urbis, & item, qui pa-
rati sunt Pluuiialibus, accedunt ad Ce-
lebrantem cum debitis reuerentijs.
Celebrans post vltimam Antipho-
nam surgit, & detecto capite cantat
Capitulum manibus iunctis; cui
vnus ex paratis ministris præintonat
initium Hymni, quod ille cantat: &
sic vsque ad finem stat, recedentibus
prædictis ad loca sua, Acolythisque
candelabra sua deponentibus vbi
prius. Cærim. idem *ibidem*. Si

initium Hymni continet inuocatio-
nem Christi, vel Dei, Celebrans
eleuat & iungit manus, & caput ver-
sus Altare inclinatur, ex Cærim. Episc.
lib. 2. cap. 14.

16 Post Hymnum cantatur Versus
à duobus ex paratis ministris in me-
dio Chori, seu ante Altare (prout Ce-
lebrans sedem habet in Choro, vel in
cornu Epistolæ, vt dictum est) quo-
rum alter statim præintonabit Ce-
lebranti Antiphonam ad *Magnificat*,
& ea intonata, sedent omnes. idem
Cærimon.

17 Inchoato Cantico *Magnificat*,
surgentibus omnibus, Celebrans factò
sibi signo Crucis à fronte ad pectus,
ex Cærimon. *lib. 2. cap. 1.* vadit ad
Altare capite tecto, cum inclina-
tionibus ad vtramque Chori partem,
tum reuerentia Altari debita, medius
inter duos paratos, vt supra (& si
via breuis est, detecto capite mini-
strorum, & sine Acolythis) ascendit ad
Altare, osculatur illud in medio, &
mox vertens se ad cornu Epistolæ,
ministrantibus nauiculam altero ex
paratis, & thuribulum Thuriferario,
imponit thus, benedicit, & incensat
Altare, eo prorsus modo quo præ-
feribitur initio Missæ in Rubricis
Missalis *tit. 4. num. 4.* & nos diximus
Tomo primo.

18 Si aliud Altare est incensandum,
puta sanctissimi Sacramenti (quod mo-
re Urbis incensandum est prius quàm
Altare ad quod Vesperæ fiunt) seu al-
terius Sancti pro more locorum, de
quò fit Festum, præcedunt Acolyhi, &
procedunt alijs parati, vt initio Vespè-
rarum; & Celebrans ea omnia facit
quæ in incensatione Altaris fiunt, exce-
pto quòd non imponit rursus incen-
tum in thuribulo, nisi opus sit.

19 Incensatione Altaris seu Altariū peracta, sine Psalmo *Dirigatur*, &c. reuertuntur predicti cum debitis Choro reuerentijs ad loca sua; & Celebrans stans apud sedem suam, inuitansque sibi viciniorem ad incensationem, ab altero ex paratis incensatur triplici ductu, cum profunda capitis inclinatione ab incensante facta ante & post, cui etiam Celebrans modicum respondet, *Cærim. supra.*

20 Thuriferarius incensat alios de Choro duplici uicōve ductu thuribuli, prout conuenit, primo saltem in ordine capite inclinato, & postremo populum, ut in Missa, in medio, à dextris & à sinistris: cessabit autem incensatio initio Orationis, quam incensum significat, ne figura sit cum figurato, ait Ruiz in suo *Cærimoniali*; imò ad *ŷ. Dominus uobiscum*, ex *Cærimon. Episcop. lib. 2. cap. 1.* & ad *ŷ. Gloria Patri*, conuenit pausam facere, & caput inclinare.

21 Cùm repetitur Antiphona, tunc, non prius, sedent omnes, interim Acolythi cum candelabris accensis, & ministri parati accedunt ad Celebrantem, qui, finita Antiphona, surgit cum alijs, & aperto capite, Acolythisque stantibus, uersa facie ad inuicem, stans uersus Altare iuuentis manibus cantat *ŷ. Dominus uobiscum*, *Oremus*, & Orationem, seu

Orationes pro Commemorationibus iterum subdit, *Dominus uobiscum*, & demissiore uoce, *Fidelium animæ*, &c.

22 Nam duo ex ministris parati ubi uersum cantauerunt, ibi cantant alta & plena uoce *Benedicamus Domino*; quo dicto, redeunt ad Celebrantem.

23 Si discedendum est à Choro, dicitur Antiphona B. Virginis pro qualitate temporis, & in fine eiusdem Celebrans addit stans demissiore uoce Orationem & *ŷ. Diuum auxilium*; & tandem discedit cum iisdem, quibuscum, & eodem modo quo uenerat, in Sacristiam, *Cærimon. sup. cap. 3.*

24 Incensationis Altaris ad uesperas meminit Amalarius *lib. 2. cap. 7. de Eccles. Officijs*, & Psal. 140. habetur: *Sicut incensum sacrificium uespertinum.*

25 Pro Completorio solemniori ritu cantando hæc adnotanda erant, ex *Cærim. Episc. lib. 2. cap. 4.* Organum admitti potest, ad Hebdomadariū spectat dicere, *Noctem quietam*, &c. *Adiutorium*, &c. *Pater noster*, item Confessio, & Absolutio uigilans ad *Deus in adiutorium*, &c. inclusive, Capitulum, Oratio, & uers. *Benedicat nos omnipotens*, &c.

Nulla tamen fiat incensatio Altaris ad Canticum *Nunc dimittis*.

LAVS DEO, ET B. VIRGINI.

NOTV.